

IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS. HEINRICUS DEI GRACIA MIS-  
 NENSIS ET ORIENTALIS<sup>a)</sup> MARCHIO OMNIBUS IMPERPETUUM. | Cum recordationis  
 mortalium locum oblivio soleat occupare nec diutinam sinat esse noticiam eorum, que  
 ad hominum utilitatem rationabiliter | disponuntur, expedit, ut memoria fluxilis et incerta  
 scripti testimonio roboretur. Inde siquidem est, quod notum esse volumus tam | pos-  
 teris quam modernis, ad quorum noticiam pervenerit presens scriptum, quod venerabilis  
 vir Everhardus abbas et conventus devotus sancte | Marie in Cella ab Heinrico dicto  
 de Kalskirche nostro ministeriali<sup>b)</sup> nec non burgen(si) in Pirne tres mansos in villa,  
 que dicitur | Scheueniz, solventes annis singulis XXX<sup>a</sup>VI modios triplicis grani scilicet  
 tritici, siliginis et ordeï et unam marcham<sup>c)</sup> argenti et | dimidiam pro LX<sup>a</sup> marchis<sup>d)</sup>  
 puri argenti emptionis titulo compararunt. Verum quoniam adhuc ex indulgentia divi-  
 ne pietatis minime filios aut filias | generarat, una cum fratre suo Hermanno de Kals-  
 kirche, qui similiter liberos non habebat, coram nobis in nostro placito provinciali in  
 Culmiz huius | emptionis eventum laudabilem recognoscens predictos tres mansos cum  
 omnibus utilitatibus suis nunc habitis sive in posterum profuturis de consensu | prefati  
 Hermanni fratris sui cunctis cernentibus, qui aderant, nostra dextera mediante abbati  
 et conventui prelibatis optulit iure perpetuo possidendos. | Cum igitur Cellense monaste-  
 rium et personas inibi domino famulantes ratione propagationis teneamur ab incursu  
 opprimentium defensare, sub optentu gracie | nostre districtius prohibemus, ne quis ausu  
 temerario dictum monasterium in prefatis tribus mansis seu in ceteris suis bonis audeat  
 aliquatenus molestare. | Si quis autem huius mandati exstiterit violator, dei omnipotentis  
 offensam et nostre indignationis ultionem immanem se noverit incursum. Ut | ergo  
 huius contractus iugis memoria perseveret et contra calumpnias malignantium validiori  
 firmitatis robore fulciatur, paginam presentem conscribi fecimus et sigilli nostri mu-  
 nimine solidari, sub testimonio omnium, quorum nomina subsecuntur, Alberti burgra-  
 vii de Dewin, Theoderici burgravii | de Kirchberch, Meinneri de Vitcenburch, Sifridi  
 de Mug(e)llin, Tymonis de Scellenberch, Richardi de Damis, Ottonis de Nozzin, | Al-  
 berti et Theoderici fratrum de Burne, Wignandi et Wignandi fratrum de Herstein, Fride-  
 ricus de Marus, Arnoldi de Bore, Heinrici de Szerin. | Actum anno gracie M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>XL<sup>o</sup>V<sup>o</sup>,  
 XIII<sup>o</sup> kalendas octobris, indictione III<sup>a</sup>.

(SP.)

## 135.

***Propst Wigand und der Konvent des Nonnenklosters Geringswalde beurkunden, daß sie 6 Hufen in Ostrau, welche sie von Friedrich von Schönburg erworben hatten, mit dessen Zustimmung für 110 Mark Silber dem Kloster Altzelle verkauft haben.***

1(2)47 Februar 20

134. a) ORIENTALIS A.

b) ministeriali A.

c) sic A.

d) sic A; r von erster Hand mit derselben Tinte nachträglich eingefügt A.